WS 1623

ACADEMIÆ MARPURGENSIS,

RECTOR, TOTUSQUE SENATUS, CIVIBUS ACADEMICIS,

OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS, S. P. P.

QVAM vehementer Deus, juſtus & ſeverus ille Iudex, hominum flagitia averſetur & abominetur, non ſolùm conſtat ex Dictis S. Scripturæ, quæ numero multa & pondere gravia ſunt, verùm etiam ex pœnis, quibus integras ipſe regiones ſæpenumerò viſitat. Siquidem & per Ezechielem cap 14. v. 13. & ſeqq. teſtatur, quòd, quando terra prævaricando prævaricatura ſit, ſuam contra eam extendere manum, virgam panis conterere, famem immittere, beſtias peſſimas, terram deſolantes, inducere, gladióq; & peſte *homines & jumenta interficere velit. Quas quatuor atrociſſimas pœnas Deus ipſe v. 21. vocat* Judicia peſſima, *non* propter malum culpæ in Deo; *quippe quod in ipſum Sanctum & ἀναμάρτητον Iehovam non cadit, ſed propter* malum pœnæ, *quod dicitur κακὸν, quatenus nobis hominibus mala, id eſt amara, dolorifica, acerba & adverſa infert. Quo ſenſu Iehova perhibetur impium operari (ſeu judicio ſuo vindicativo deſtinare)* ad diem Mali, *Prov. 16. v. 4. hoc eſt,* ad diem pœnæ & calamitatis, *peccata antegreſſa manentis, judicialiter dirigere: ſicut Damaſcenus lib. 4 de orth. fide, cap. 20. inquit:* Anceps eſt nomen *Mali*, duo ſignificans: nam quandoq; τῇ φύσει κακὸν, naturâ malum oſtendit, quod quidem virtuti contrarium eſt, & divinæ voluntati: quandoq; autem τὸ πρὸς τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν κακὸν, quod ad ſenſum noſtrum, malum, ut tribulationes & inductiones. Hæ enim exiſtimatione malæ ſunt, cùm doloroſæ exiſtant, re autem verâ bonæ. Nam converſionis & ſalutis, intelligentibus πρόξενοι fiunt, & has per Deum fieri, dicit Scriptura. *Hæc Damaſcenus non immeritò. Deus enim eſt, qui homines malitioſè exorbitantes* fame, gladio, peſte, &c. *inviſit, iisq; ipſos ad pœnitentiam adducere intendit. Facilè ergò animadvertere poſſumus, quòd* peſtilentiæ & dyſenteriæ, *quibus Deus aliquos noſtrûm hucusq; percuſſit, origo ſit* ſtudium peccandi, *à quo quando in verâ & ſincerâ pœnitentiâ & fide per divinam gratiam diſceſſerimus, & ad Deum noſtrum humiliter converſi fuerimus, non dubium erit, quin Iehova iſtas ſimilesq; pœnas à nobis ſit clementer averſurus, noſtriq; diſſipationem impediturus: quemadmodum etiam, poſtquam Spiritu ſuo nos movente, seriò reſipiſcere jam tum cœpimus, plagæ etiam illæ apud nos ulteriùs non prorepſerunt, ſed illis finibus, quos Iehova ipſis præſtituit, determinatæ hucusq; perſeveraſcerunt. Sicut igitur pœnitentiam ſinceram humiliter agere cœpimus, ita quoq; eandem per Spiritum Dei continuaturi, opiferam Dei gratiam ſic ſentiemus, ut ſine diſperſione, hîc conjuncti manere, noſtrámq; ad quam quisq; ſuo loco vocatus eſt, exornare Academicam ſpartam feliciter & ſalutariter ξὺν θεῷ poſſimus. Vt autem Studioſis, qui inſtanti hyeme nobiſcum permanere, vel etiam aliundè ad noſtram accedere Academiam cupiunt, de publicis & privatis laboribus noſtris Academicis, quos volente Deo, exantlare ſedulò annitemur, maturè ſatis conſtet, ideò catalogum eorum, hîc conſignatum, publicare voluimus.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Iuſtus Fewrbornius, S. Th. D. & Prof. & p. t. Rector, poſtquam hactenus abſolvit Articulum *de S. Scripturâ*, & Explicationem Epiſtolæ ad Romanos. 1. S. Evangeliſtam Lucam ab eo capite, ubi ſubſtitit, explicare incipiet, & cujusq; capitis Analyſin Logicam communicabit, & quæcunque in ſingulis verſiculis obſcura controverſáve fuerint, dilucidabit & vindicabit, & ex B. Patribus illuſtrabit, eâdem methodo porrò uſurus, quâ in Academiâ quæ Giſſæ antehac fuit, in S. Matthæi & S. Marci interpretatione uſus eſt.

2. Publicum Collegium Theologicum aperiet, in quo diſputationes *Antioſtorodianas* reſtantes contexet & ad finem perducet.

3. Privatum Collegium Theologicum inſtituet, in quo Exegeſin Aug. Conf. à Dn. D. Mentzero p. m. conſcriptam, diſputando percurret.

4. Quin etiam privatim Collegium *Lectorium & Diſputatorium* habebit, in quo Epiſtolam ad Galatas prælegendo enodabit, & ſimulatque unum caput abſolverit, confeſtim illud diſquiſitioni privatæ ſubjiciet, ſicq; omnia diriget, ut omnium Facultatum Studioſi liberrimum ad hæc viſitanda Collegia, ſi quem expetent, habituri ſint acceſſum.

Iohannes Steuberus, S. Theol. D. & Profeſſor, publicè *Locos Communes* prælegeт. Privatim Collegia tria pro Auditorum profectibus inſtituet. 1. *Practicum*, in quo diſpoſitiones Concionum ſelectarum, uti hâc æſtate, ita impoſterum præſcribet. 2. *Biblicum*, in quo Studioſis Evangeliſtas explicandos injunget, ita, ut capitum Summas, Diviſiones, Antecedentium & Conſequentium connexiones, vocum in originali textu occurrentium interpretationes enucleatè proferant, argumentorum introductorum pondus & ſeriem enumerent, dubia reſolvant, & de his omnibus in collatione inſequente ſermones conferant. 3. *Catecheticum*, in quo L. C. diſquiſitioni ſubjiciet.

Meno Hannekenius, S. Theol. D. & Profeſſor, aggreſſurus Explicationem *Geneſeos*, eam, quâ fieri poterit, brevitate & perſpicuitate, adhibitis in conſilium variis Authoribus, propoſiturus eſt.

Collegia Hebraica tria inſtituet: *unum* pro incipientibus; *alterum* pro provectioribus; *tertium* ad colloquendum Hebraicè, pro illis, quos hactenus in ſententiis Hebraicis & Lectione ſcripturæ non punctatæ exercuit.

Inſuper inſtituet Collegium Theologicum Biblicum, ubi Studioſos in Analyſi Epiſtolarum Paulinarum ſic exercebit, ut eas explicare, inde doctrinas theoreticas & practicas eruere, & cujuſvis generis dubia, in illis occurrentia, enodare diſcant.

IN FACULTATE JURIDICA.

Viri Ampliſſimi, Clariſſimi & Conſultiſſimi Dn. Hermannus Vulteſus, Procancellarius Senior; & Dn. Iohannes Goeddeus, ICti celeberrimi, & de universâ Republ. Chriſtiana, & imprimis de hâc Academiâ optimè meriti, etſi rude donati ſint; nihilominus tamen ſuis ſaluberrimis Conſiliis Bonum Publicum laudabiliter promovere pergent.

Helfricus-Vlricus Hunnius, I. V. D. & Codicis Profeſſor, & Academiæ Procancellarius, explicabit L. inter Claras. Cod. de ſumma Trinit.

Anthonius Neſenus, I. V. D. & Pandectarum Profeſſor, poſt finita τὰ πρῶτα, perget in Theorico-practicâ principalium Legum Explicatione.

Iohannes Breidenbachius, I. V. D. & Profeſſor, explicabit tertium Juris objectum.

Iuſtus Sinoldt/*alias* Schütz *I. V. D. & Profeſſor*, in Quæſtionibus Juris controverſi quotidianis reſolvendis, perget. Collegia quoq; privata diverſa continuabit & aperiet, in quibus Paratitla Matthæi Weſenbecii diſputabit, aliis quoq; horis Quæſtiones ex illis utiliores explicabit. Iiſdem modis Inſtitutiones Juſtiniani tractabit.

IN FACULTATE MEDICA.

Nicolaus Braun, Medicinæ Doctor & Profeſſor, continuabit Exercitationes ſuas medicas, & cùm hâc æſtate abſolverit curationes morborum pituitoſorum, hâc futurâ hyeme expediet curationes morborum bilioſorū tàm in genere, quàm in ſpecie, & tàm privatim, quàm publicè.

Iohannes Kempffius Medicinæ Doctor & Profeſſor, Pathologiam univerſalem interpretabitur, & Quæſtiones Pathologicas controverſas breviter, perſpicuè ac diligenter enucleabit, ſimulq; Collegium privatum Pathologicum aperiet, & in horto ſuo ſicco plantarum rariſſimarum refertiſſimo, Medicinæ Studioſos exercebit: cumprimis autem plantarum in officinis uſitatarum, ad morborúmq; curationem neceſſariarum, nomina ac vires eiſdem explicabit.

Iacobus Müllerus Medicinæ Doctor & Profeſſor, publicè controverſias Medicas explicabit, & ſimul Anatomica immiſcebit: privatúmq; Collegium ſuum Inſtitutionum continuabit.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Theodorus Vietor, Græcæ Linguæ Profeſſor, abſoluto libro primo Heſiodi, ἔργων, exponet librum ejuſdem ſecundum, in quo idem Poëta opera potiſſimùm corporis, de adminiſtratione rei familiaris, & de diebus opportunis, quibus quælibet commodè agenda ſunt, proponit.

M. Conradus Bachmannus, Poëtices Profeſſor, ad Nicodemi Friſchlini exemplum, libro ſeptimo Æneidos nuper paraphraſin dictare cœpit, quā pertexere, & per ſubſequentes libros continuare perget.

Iacobus Müllerus, Doctor, Philoſophiæ itidem Profeſſor, reſiduum Geographiæ pertractabit, hócq; abſoluto, optica alternatim & Arithmetica auſpicabitur. Quin etiam privatū collegium Geometricū Euclideū aperiet.

M. Iohannes Henricus Tonſor, Phyſices Prof. & Pædagogiarcha, poſtquam hâc æſtate doctrinam de Cœlo abſolvit, doctrinā de animâ rationali, ejuſdem ortu, intellectu & voluntate explicabit. Addet etiam Collegium Phyſicum Explicatoriū & Diſputatorium, tàm Generale, quàm ſpeciale.

Iohannes Kornmannus D. Ethices & Politices Profeſſor, ea, quæ in Lib. 9. & 10. Ethicorum Ariſtot. ad Nicomachum reſtant, abſolvet, iiſq; abſolutis, Libr. Politic. Ariſtot. explicationem aggredietur, & privatum Collegium Diſputatorium tàm Politicum, quàm Ethicum inſtituet.

Theodorus Höpingk, D. Oratoriæ & Hiſtoriarum Profeſſor, Germanorum mores aperiet, & Schematologiæ Pronunciationisq; Oratoriæ præcepta conjunget, & ad uſum transferet.

M. Caſparus Ebelius, ordinarius Logicæ Profeſſor, in Inſtitutionibus Logicis perget, eaſq; ad finem perducet: Collegiaq; tria aperiet, *unum* Explicatorium, & *duo* Diſputatoria.

Marcellus Oliva, Linguæ Gallicæ Profeſſor publicus, Grammaticam Gallicam Serreii, & Danielis Martini, ut & Colloquia ejuſdem Danielis Martini & Garnerij explicabit, cum aliis Exercitiis quotidianis.

Habetis jam, Studioſi lectiſſimi, Deſignationem omnium noſtrorum Laborum Academicorum, quos divinâ auxiliante gratiâ, proximè inſtanti hyeme, in hâc noſtrâ Academiâ exantlare decrevimus. Rogamus autem Deum Patrem per dulce illud Ieſu Chriſti, Mediatoris noſtri, nomen, humillimè, ut noſtri miſertus, omnes plagas à nobis clementer avertat, diſſipationem noſtri potenter præcaveat, nos ſanos & incolumes miſericorditer conſervet, & ab omnibus malis liberet, quò ipſi gratiſſima profiteri [illegible] genere humano proferre ſciamus & queamus, tandemq; immarceſcibilem gloriæ cœleſtis coronam, ceu ultimum brabeum, ad quod cupidè anhelamus, in Chriſto reportemus, Amen. P. P. Marpurgi, die 16. Auguſti, Anno 1629.

Typis NICOLAI HAMPELII, Academiæ Typographi.